

Maiden-
castle.

Comites
Richmon-
diæ.

Ouerus de
S. Marino
circa hæc
tempora
nominatur
Comes
Richmon-
diæ.
Norman-
nia à Re-
gibus An-
glie abju-
dicata.

ipsam militarem Romanorum viam , exiguum munimentum fuit Romanum quadrata forma, quod *Maiden castle* hodie vocant. Vnde militarem Romanorum viam per anfractus ad *Caer Vorran* duxisse limitanei mihi retulerunt.

Comites Richmondia fuerunt multi pro Principum favore, & ex variis familiis, quos sua tamen serie, quam possum accurate & perspicue subijciam. Alanus *Rufus* Comes Britannia Armorica. Alanus *Niger*, cui Guilielmus *Conquestor* hunc agrum donavit; Stephanus Comes Britannia frater ejus. Alanus Comes Britannia, filius Stephani. Conanus Comes Britannia filius ejus, qui ope Henrici Secundi Regis Anglia Britanniam à vitrico Vicecomite *Porhoet* occupatam recuperavit. Galfridus *Plantagenet* filius Henrici Secundi Regis Anglia, qui Constantiam filiam unicam Conani primo duxit. Arthurus filius ejus, quem à Rege Ioanne sublatum scribunt. Hoc sane nomine Ioannem ut Ducem Normannia Galli in quaestionem vocarunt, absentem, inauditum, minime confessum, & non convictum sententia lata condemnarunt, Normanniam & hæreditarias in Gallia possessiones adjudicarunt. Cum tamen ille se iudicio Lutetia sistere publica data fide promississet, responsum de morte Arthuri, qui sibi subjectionis fidem iurejurando ut *ligius* obligarat, ab eadem resiliat, rebellionem excitat, & bello captus erat. Quo tempore agitata quaestio erat, an Pares Francie poterant iudicare Regem inunctum, & ita superiorem, quum *major dignitas quodammodo absorbet minorem*; & jam Rex Anglia & Dux Normannia una eademque erat persona. Sed quo digredior? Post Arthurum hi in Richmondia Comitatu successerunt, Guido Vicecomes Thoarensis sive de *Thovars*, cui Constantia illa secundo enupsit. Ranulphus tertius, Comes Cestria, cui Constantia tertio nupta. Petrus de *Dreux*, sive Druidensis, regio Francorum sanguine oriundus, qui Aliciam unicam Constantia filiam è Guidone Thoarense susceptam duxit. Petrus de *Sabaudia* avunculus Eleonoræ uxoris Regis Henrici Tertii, qui Anglia proceres & plebem contra exteros frementes veritus, ultro hoc honore cessit. Ioannes Comes Britannia filius Petri de *Dreux*. Ioannes Dux primus Britannia, filius ejus qui duxit Beatricem filiam Henrici III

Regis Anglia, cui natus Arthurus Dux Britannia, quem aliqui produnt Comitem etiam fuisse Richmondia. Certe Ioannes frater ejus junior statim à morte patris hunc gessit honorem, qui avito dignitati Druidensi cum *Cantone* Britannia, Leones Anglia in limbo adjecit, Custos fuit Scotia sub Edwardo II, ubi tres annos captivus detentus, & demum sine prole, Edwardo III regnante obiit, Ioannesque Dux Britannia nepos ejus, Arthuri filius in hoc Comitatu successit. Quo sine sobole defuncto, cum de Britannia Ducatu acriter decertaretur, Edwardus Tertius ad suas in Gallia partes firmandas Ioanni Comiti *Montisfortis*, qui illi de Ducatu Britannia fidem fecerat, cumque vir esset, & gradu propior, jure potior, & fratris mortui filia præponendus videbatur, hunc Comitatum, donec suas in Gallia possessiones recuperaret, concessit. Quibus mox Anglorum ope recuperatis, idem Rex Ioanni Gandavensi filio contulit, illeque Regi patri pro aliis terris in manus tandem reddidit. Rex autem illico Ioannem de *Monteforti* secundum Britannia Ducem, cognomento *Le Vailant*, quem generum si b adsciverat, ut arctiori nexu virum bellicosum, & Gallis infensum sibi obstringeret, Richmondia Comitem creavit: Verum autoritate Parlamentaria, anno xiiii Regis Richardi Secundi, ille hoc Comitatu abdicatus erat, quia Gallis contra Anglos adhæserat; titulum tamen retinuit posterisque reliquit. Possessionem vero Rex concessit Ioannæ Britannicæ sorori ejus, viduæ Radulphi *Basset de Draiton*. Illa mortua Radulphus *Nevill* Comes West-morlandia primum Castrum & Comitatum Richmondia *ad terminum vite* beneficio Henrici III accepit, & post eum Ioannes Dux Bedfordia. Deinde Edmundo de *Hadam* fratri suo uterino Henricus Sextus Richmondia Comitis titulum contulit peculiari jure, ut *sedem in Parliamentis Ducibus proximam haberet*. Huic successit Henricus filius ejus, qui postea Rex Anglia ejus nominis Septimus. Dum ille autem exularet, Georgius Dux Clarentia, & Richardus Dux Glocestria ab Edwardo III fratre hunc Comitatum acceperunt. Postremo Henricus filius nothus Henrici VIII Dux Richmondia à patre investitus erat, qui sine liberis ex hac vita anno MDxxxv demigravit.

Rob. de
Aybois
non fuit
Comes
Richmon-
tis ut ha-
bet *Fro-
fardus*,
sed Bello-
montis.
Liber
Feodorum
Richmon-
diæ.
* Inter
Ioannem
de Mon-
teforti, &
Ioannam
Claudam
Caroli
Blesensis
uxorem.

Dux Rich-
mondia.

Numerantur in hoc agro Parœcia magna præter Sacella 104.